





Br. 30. num. 7.


AD

10

L. I. D. AN PER ALIVM CAVSSAE
APPELLATIONVM REDDI

POSSVNT.

1777, 11



DISSERTATIO INAUGVRALIS

AVCTORITATE

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA.

PRO

SVMMIS IN IVRE HONORIBVS

OLIM RITE OBTINENDIS

AD DISCEPTANDVM

PROPOSITA

AB AVCTORE

FRIDERICO WILHELMO BÜHRING.




BVETZOVII

AD IVNII A. R. S. c1313 cclxxvii



AD
L. D. AN PER ALIUM CASSAE
APPELLATIONVM REDDI
POSSUNT




DSSERTATIO IN AUCTORITATE
STATUTORVM
ILLVSTRIS IRREGONSALIVM ORDINIS

IN
ACADEMIA FRIDERICIANA

PRO
M. M. M. IN TERE HONORIBVS

OLIM RITE OBTINENDIS
AD DISCERTANDVM

PROPOSITA
AB AUCTORE
FRIDERICO WILHELMO BÄHRING



BATEOVII
AD ANNO A. M. 1783





§. I.



Quum iam eo essem ut peracto examine rigoro-
so, musis academicis valedicturus atque ad
forum causarum orandarum gratia abitu-
rus, specimen quoddam pro summis olim
aliquando in iure capiendis honoribus ela-
borarem: Variæ mihi sese obtulerunt do-
ctrinæ, in quibus enucleandis atque perve-
stigandis laborem non omnino inutilem consumerem, ingeni-
que qualiscunque mei vires excercerem. Incertus vero quam-
nam inter has plures mihi sumerem, et pragmaticis potius, an
theoreticis quas aiunt disquisitionibus palmam tribuerem tan-
dem in legis alicuius, male hucusque a plerisque intellectæ, vera
interpretatione acquievi; tum quod hac ratione euitarem, ne
in viam ab aliis multis et frequentissime tritam me darem, sed
selectam quandam et nondum ad liquidum perductam quaestio-
nem tractarem, tum quidem ut theoreticam quasi disciplinam
cum pragmatica coniungerem, quando quidem lex illa in qua
interpretanda versabor, ita comparata est, ut ab illius dextra
sinistraue interpretatione non adeo leuia consecraria in praxin
forumque promanent. Lex autem illa, de qua loquor et de
cuius sano intellectu omnis futura est ad dicendum materia, est
locus *VLPIANI in L. I. an per alium causæ appell. Redd. poss.*
cuius igitur verba hic iuvat præmittere. Sunt autem illa
huius

A 2

huius tenoris: *Quaeri solet, an per alium causae appellationis reddi possunt: Quae res in rebus pecuniariis et in criminibus agitari consuevit? Et in rebus pecuniariis sunt Rescripta, posse agi; Verba rescripti ita se habent: Diui Fratres Longino, si tibi, qui appellauit mandauit ut eum de appellatione quam Pollia ad eum fecit, defenderes, et res pecuniaria est: Nihil prohibet nomine eius te respondere: Sin autem non sit pecuniaria causa sed capitalis: Per procuratorem agi non licet. Sed et si ea causa sit, ex qua sequi solet poena usque ad relegationem, non oportet per alium causas agi: Sed ipsum auditorio adesse debere sciendum est. Plane si pecuniaria causa est ex qua ignominia sequitur; potest et per procuratorem hoc agi. Idque erit probandum et in ipso accusatore si appellauerit, vel si aduersus eum sit appellatum. Et generaliter quae causa per alium agi non potest, eius nec appellationem per alium agi oportet.*

§. II.

In hac, cuius verba, ante oculos posita sunt, lege, quaestionem de licentia per procuratorem in instantia prouocationum comparendi tractari et tenor tum legis ipsius tum inscriptionis tituli manifestum reddit, et omnes omnino facile quod scio mihi largientur. Sed, quum saepius a viris doctis quaesitum est: Num in causis *criminum coercitionem* attinentibus aequè ac in *civilibus* et *patrimonium priuatum* concernentibus causis tum quidem quum responsio rei necessaria est, per mandatarium quendam comparere liceat, plerisque ad hanc inter alios legem velut ad sacram video ancoram confugere, quasi haec quidem inter caetera iuris nostri loca capitalis sit. Rectè quidem me iudice. Potest enim omnino quaestio illa ex hac lege dissolui. Verum enimvero, quemadmodum ex legis alicuius ad dissoluendam aliquam iuris quaestionem apprime facientis, sinistra interpretatione non obstante quod lex illa quaestionem bene dissolutam reddat falsa consecraria, duci spurriaeque decisiones peti possunt; ita admodum vereor, idem hoc etiam ne legi nostrae euenerit: Videlicet, si ab vno Reinh. Bachovio discesseris, quotquot mihi innotuerunt viri docti ad vnum omnes talem legi nostrae verbisque Vlpianeis affixerunt

xerunt sensum quem, si redire datum fuisset bono Icto, nun-
 quam pro suo ipsum agnitorum, certissime quidem mihi per-
 suadeo. Quid ergo mirum, si quam ex male sic intellecta le-
 gis sanctione, sententiam atque decisionem causae, in qua testi-
 monium eidem tam liberaliter denunciare solent, deducunt at-
 que repetunt, equidem etiam meam facere dubitem. Nimi-
 rum id quidem in disquisitionem venit: Quidnam Iurisconsul-
 tus noster *per rem pecuniariam* quidue contra *per rem capitalem*
atque criminalem in hac lege intellexerit? Omnes vero quorum
 operibus, descriptionibusque ad hanc rem spectantibus oculo-
 rum meorum vsu frui potui, veluti in eo conspirare video, *per*
res pecuniarias hic eas causas criminales leuiores intelligi, qua-
 rum non nisi multa atque pecuniaria esse solet coercitio. *Per*
res criminales atque capitales reliquas intelligunt causarum crimi-
 nialium species quas poenae pecuniariae non, sed grauiores
 coercitiones sequi solent: Ex quibus tandem argumento legis
 in hunc sensum intellectae concludunt: 1) In causis quarum
 criminalis persecutio ad multam siue talismodi, poenam ten-
 dit quae in pecuniariam potest immutari, procuratorem admit-
 ti, contra ea 2) in reliquis persecutionum criminalium generi-
 bus, vti scilicet poena secutura est capitalis, vel certe talis, quae
 pecuniaria non est, nec cum ea commutanda, procuratores
 repelli. Multorum doctorum virorum allegatione lubens iam
 quidem supersedeo. Animus enim mihi plane non est, multo-
 rum nominum magnam omnino in foro et republica litteraria
 auctoritatem habentium celebratione opellam hanc qualemcum-
 que exornare, aut quod arrogantius videri poterat, magnum
 dissentientium quasi exercitum in aciem contra me deducere;
 tum quod vnanimis fere in tuenda hac, quam refutare mihi
 sumsi, omnium quos scio et incredibilis plane consensus sit,
 tum et id maxime quidem, quoniam non tum animum indu-
 xerim alios viros doctos quos magni omnino facio, quorum-
 que auctoritatem et eruditionem ingenti studio deueneror con-
 futare, quam potius inquirere, inque legis sensu genuino eru-
 endo quid valeant humeri quidue reculent, periclitari. Neque
 enim solum illi, quorum nomina hominum pragmaticorum di-
 cohors comiter veneratur, verum et illi qui altiora sapere di-
 cun-

cuntur, in eandem hanc pedibus eunt sententiam. Sufficere mihi satis videtur, si vel solum qui inter reliquos hoc contendit *Sam. STRIKIVM in Usu mod. pandect. L. III. tit. 3. §. 7. 9.* nomen utpote cuius, scio, auctoritatem plures omnino eosque clarissimos viros esse secutos, quemadmodum nemo facile ignorat, magni hujus viri nomen, potissimum in foro velut inter stellas luna minores, micare. Sed idem etiam vir aequae summus *Iust. Hen. BOEHMERVS in diss. de potestate procuratoris in causis criminalibus §. 18. ut et. Io. Ortwin Westenbergh in Diuo Marco diss. XXI. Ioan. Voetius comment. ad Digesta Tit. de procuratorib. §. 14.* alique viri docti longe plures quos inter veluti principem virum illustrem *Christ. Ge. Frid. Meisterum praeceptorum olim meum nunquam non insigni petitis cultu suscipiendum in der ausführlichen Abhandl. des peinlichen Processes in Teutschl. Sect. I. c. 9. §. 2. p. 276.* honoris causa nominabo eandem sententiam omnes defendunt.

§. III.


Iam vero, ut quae ipse ego de hac lege sentiam, nunc quoque in medium proponam, et quantum virium imbecillitas permittet, rationibus confirmem; ante omnia haec quidem praemonenda esse video: *Primum*, non est animus, vniuersam de procuratoribus in causis criminalibus tum primae tum vltioris instantiae doctrinam exhaurire, omnemque adeo legis nostrae ambitum interpretatione quacunque emetiri: Hinc quoque quaestionem de licentia *accusatoris* per procuratorem comparandi, etsi ea quoque in lege illa facta sit et communiter a viris doctis qui de potestate procuratoris in causis criminalibus agunt, simul exponi soleat non nisi in transitu tractabo, sed in ea Vlpiani loci parte quae de *reo* illiusque potestate per procuratorem comparandi, agit, recte intelligenda, vnice versabor. Quamquam, si ea, quae respectu huius a me proponuntur, contemplari rationesque, quas propositurus sum, reo cum accusatore communes considerare quis haud dedignatus fuerit, is quaenam mihi respectu accusatorum quoque in hac quaestione insit opinio, non possit non facillime colligere. *Deinde* cum lex nostra non de excusatione absentiae rei

rei aut dilatoriarum exceptionum allegatione, sed de ipsa plena innocentiae ipsius defensione et ad libellum accusationis ab accusatore contra se prolatum responsione agat; equidem quoque non nisi eam quaestionem, pertractabo, vtrum ad innocentiae plenam defensionem et ad imputatum crimen atque ad quaestiones merita causae concernentes, siue in libello actionis ab accusatore, siue quod hodie contingere potest facilius, ab ipso iudice in interrogatoriis siue articulis criminalibus ex officio propositas reo liceat per procuratorem respondere? Quod enim ad allegationem dilatoriarum exceptionum aut ad excusationem absentiae attinet, eas per procuratorem fieri posse propter *l. 71. D. de procuratoribus et l. penult. § I. D. de publ. iudiciis vt et locum Pauli in Recept. Sentent. L. V. Tit. V. §. 6. et Tit. 16. §. II.* lubentissimus concedo. Denique quum *Noster* non de disceptatione causae in *prima instantia*, sed de cognitione criminis, *mota appellatione* verba fecerit manifesteque tantum loquatur, nos quoque ad posteriorem solummodo respiciemus, non dubitantes tamen, facile demonstrari posse, iure romano praesentiam ipsius rei etiam in *prima instantia* necessariam, nec per procuratorem litis contestandae causa comparendi licentiam ipsi datam fuisse. Id quod vel ex iis, quae ratione instantiae appellationis demonstrabimus, a minore ad maius ratiocinando colligi potest. Quemadmodum illud etiam ex verbis legis nostrae finalibus, non obscure intelligitur. Quibus praemissis, ad rem ipsam, qua de impaesenti breuiter agendum me conuerto, eumque in finem obseruo, mea qualicumque ex sententia per *rem pecuniariam* hic non, vti hunc locum vulgo intelligere solent, causas criminales multa siue pecuniaria poena coercendas indicari, sed potius ipsas causas *ciuiles*, ex facto vel licito, vel illicito oriundas siue lites *patrimonium* concernentes et *ad id quod interest* ciuilitate persequendum tendentes, intelligi; contra ea autem *criminum* siue *criminalium causarum*, denominatione ea causarum genera a *Nostro* comprehendendi, vbi de eo agitur vt ob laesionem *reipublicae* factam poena *publica* infligatur, aut certe, et si delictum in se priuatum sit tamen ad persecutionem criminalem extra ordinem procedatur. De qua quidem

dem criminalium caufarum notione genuina plura eaque fa-
nora quam quae vulgo proferri folent, fi cuiquam legere eſt
volupe eum ad dumuiros celeberrimos praeceptores olim at-
que fautores aeterno pietatis cultu a me deuenerandos ſcilicet
Perilluſt. *Georg. Lud. Boehmerum* in cultiſſima *comment. de furto*
et abigatu equorum c. 1. §. 6. et ad *generoſiſſ. Ioan. Henr. Chriſt.*
de Selchow in Element. antiquitat. iuris romani, Part. I Lib. 2.
c. 7. Sect. 2. §. 254. ſq. libenter ablego. Iam quidem facile
praevideo, hanc meam interpretationem, minus ad palatum
illis futuram eſſe, qui non niſi antiqua probare, ea vero quae
paullulum a rationibus maiorum recedunt, illico damnare ſo-
lent. Largior enim, neminem, id quod ego conatus ſum qui
in hac lege interpretanda, praetiſſet, praeter vnicum *Rei-
nold. BACHOVIVM* quod ſanctiſſime affirmo, mihi ignoruiſſe,
vtpote qui inter omnes quos adii, ſolus in *notis ad Weſenbecij*
Commentar. ad Digella Tit. de procuratoribus not. 5. eandem
fere quam ego ſententiam habet, licet tamen et hic pro in-
ſtituta ratione in ea demonſtranda nonniſi breuiſſimus ſit.
Sed quae auctoritati mihi defunt, num argumentorum atque
rationum pondere poſſim aſſequi, age, periculum faciam.

§. IV.

Propius ergo ad ipſa legis noſtrae verba accedamus, no-
ſtramque interpretationem ipſi legis ſenſui conuenire proba-
tum eamus. Cauſa nimirum, quare ſecundum vulgarem
opinionem tantum non omnes interpretes *per res pecuniarias*
eas caufarum criminalium figuras intelligunt, in quibus mul-
ta ſiue poena pecuniaria ſecutura eſt, in eo collocari debet,
quod in hac lege de ſolis criminalibus cauſis, non aequae de
ciuilibus agi, rati ſunt. Id vero falſo contenditur; ſi quis ver-
ba illius non per tranſennam qui multorum capita iuris ciui-
lis tractandi mos eſt, ſed penitus paullo intueri conſiderare,
que haud dedignabitur, ſolus adſpectus eorundem quemlibet
certiſſime edocebit. Feſellit autem eos, ſi quid video inſer-
tio verborum Diuorum fratrum quam more Iuriſconſultis
veteribus haud inſueto oratione ſua in media et non adeo com-



competenti loco, probationis causa fecit. Quare, licet longissime ab ea nos quidem absumus proteruia, vt vel ordinem verborum in hac lege villo modo immutemus; tamen vt mens Iurisconsulti luculentius appareat, verba paulo alio ordine et eo quidem, quo nos in eo tradendo forte vteremur scripta fuisse fingamus. *Primo* autem notari meretur, hanc legem, vi inscriptionis ex *Vlpiani* libro quarto appellationum desumptam esse. Quamquam enim sint, qui *Paulo* eandem adscribant, tamen hic non nisi *singularem*, de appellationibus librum conseripsit, et index codici Florentino praemissus venerabile *Vlpiani* nomen seruat, vt videre licet apud *Abram. Wieling. in iurisp. resubuta Part. I. p. 59.* Sed non multum de auctore disputemus. Sufficit, librum agere de appellationibus in genere, camque *generalem* illius inscriptionem vetare, quo minus de sola in causis criminalibus prouocatione in eo tractari existimemus. Quod ad tenorem praesentis loci speciatim attinet, quaestio ea, quam mouet Iurisconsultus, quisquis etiam ille sit, sed, si recte tenere velis *Vlpianus*, iridem generalis est, haudquaquam ad causas criminales adstricta, sed quae tum *ad has*, tum ad *ciuiles* discorparationes pertinet. Quae *ri* solet: an per alium causae appellationis reddi possunt? Haec est quaestio illa, quam dixi, *generalis*. Iam vero quasi vt ostenderet *Noster* ipsam hanc disquisitionem non supervacaneam esse atque in vtilem sed in foro frequentissimam, statim post motam illam subiungit: Quae res in rebus pecuniariis et in criminibus, agitari consuevit. Quae quidem verba, quum *ICtus* statim quaestioni illi generali subiiciat, ita procul dubio intelligantur, necesse est, vt quaestioni per ideam generalem formatae conueniant, eandemque exhauriant, hoc est, vt ipsa *generaliter* quoque intelligantur et ita, *totum ambitum causarum forensium*, in quibus appellationes procedere possunt, vt comprehendant. Iam igitur, quum, quod ne dupondiarj quidem ignorant, haec duo summa sint causarum forensium genera, vt aliae *ciuiles* sint aliae *criminales*, prouti scilicet ad persecutionem eius, quod alicuius respectu patrimonij interest, comparatae sint actiones, aut vero ad poenae publicae persecutionem reipublicae potissimum causa tendunt. Quis dubitaret,

B

ret,

la.
e est
n at-
licet
furto
rist.
b. 2.
acile
tum
quae
e so-
qui
Rei-
isse,
becii
lem
in-
sit,
que
no-
oba-
rem
rias
mul-
bet,
de
ver-
iui-
are-
bet
er-
tis
leo
m-

ret, Nostrum quoque duas has formas causarum forensium generales indigitare, dum rerum pecuniarum et criminum mentionem facit, adeoque ipsum per priores causas *ciuiles* per posteriora *criminales* intelligere. Quid enim? Nonne in causis etiam *ciuilibus* et ad rei persecutionem tendentibus quaestio illa: *utrum* causae appellationis per procuratorem reddi possint, locum habere potest? Et nonne igitur *Vlpianus*, si per *res pecuniarias* causas criminales pecuniaria poena coercendas intellexisset, adeoque solis de causis criminalibus locutus esset, causas *ciuiles* temere exclusisset, quasi in his quaestio illa officium perderet, nec obuenire possit? Quod vero, quam temerarium dictu sit, quum nemo non intelligat, nolimus eidem diutius immorari. Idque eo minus, quo evidentius ex solo verborum adpectu constat, *res pecuniarias* in hoc loco *criminales* contradistingui. Quod si enim per *res pecuniarias* itidem intellexisset causas et actiones ex *criminales* orientes, ad poenam tendentes pecuniariam, et his *criminales* causas contradistinxisset, nonne causas criminales a criminalibus distinxisset, nonne utraque formula vnum, idemque significasset? Quod utrumque vero, siquam sit absolum, vix dici potest. Quare hoc certum est, nullique plane dubio obnoxium, in hac demonstratione quaestioni motae subiecta de causis *ciuilibus* et de *criminalibus* agi et quaestionem illam in utroque genere in foro obuenire, enarrari. Iam ergo, cum quaestio ipsa generalis est, quumque demonstratio illi adiecta pariter ad causas tum *ciuiles*, tum *criminales* spectat; facile vel inde colligitur, decisionem istam etiam quaestionis formatae, utrumque genus causarum comprehendere debere, et, ni comprehendat, imperfectam atque otiosam fore. Prius vero ut appareat, iam aegedum ipsam ad resolutionem quaestionis motae paulo propius accedamus! Quoniam vero, ut ante monuimus, verba rescripti Augustorum, non quidem quo nos solemus loco et modo, sed more suo aliorumque Iuriconsultorum veterum verbis suis propriis, atque orationi suae immiscuit atque intexuit; ut curate verba ipsius et mentem a verbis, mente Augustorum meditatione nostra discernamus, necesse sit, Distinguit nempe uti iam in ipsius quaestio-

stionis propositione coepisse eum vidimus, in ipsa hac quaestio-
 nis resolutione inter causas pecuniarias atque criminales.
 Recte omnino! Neque enim Tu o bone aliter determinatio-
 nem facere poteras, qui semel generalem quaestionem for-
 maras! *Ad priores* quod attinet, affirmat, posse quem in illis
 per procuratorem in prouocationis instantia agere, eaque in
 re ad rescriptum D. Fratrum prouocat: *Et in rebus pecunia-
 riis inquit sunt rescripta, posse agi.* Simul vero ipsa rescripti
 verba statim adiicit, utpote ex cuius initio, in causis pecunia-
 riis posse causam appellationis per alium reddi, constat. Ita
 enim sunt verba rescripti: *Si, tibi, qui appellauit, mandauit, ut
 eum de appellatione, quam Pollia ad eum fecit defenderes, et res pe-
 cuniaria est, nihil prohibet, nomine eius te respondere.* Sed, quum
 nonnullae causae ciuiles adeo comparatae sunt, ut, ex parte
 illius, qui condemnatur, famam sugillent, quod, uti vulga-
 tissimum est, in contractibus sic dictis infamantibus contingit.
L. 1. L. 7. §. 1. 2. 5. ult. L. 7. D. de his qui not. infam. sic vero
 dubitatio oriri poterat: utrum quoque in his locum habere
 possit comparitio per procuratorem, hanc ampliationem addit:
*Plane, si pecuniaria causa est ex qua ignominia, sequitur: potest
 etiam per procuratorem hoc agi.* Licet vero hucusque solum-
 modo de causis pecuniariis agat, nihilominus rescriptum
 D. Fratrum, quod tamen non de his solum, sed simul etiam
 de criminalibus causis disponit, integrum hunc locum inseruit,
 quum nostratum quis aut integrum rescriptum penitus in fine
 orationis totius subiecisset, aut certe locum de causis pecunia-
 riis hic, ubi de hisce causis agitur, alterum vero de causis
 criminalibus siue capitalibus locum, postquam de his quoque
 actum esset, inseruisset. Quae quidem integri rescripti in-
 fertio, sicuti causam vulgaris interpretationis et si qua est
 difficultatis continere viderur, ita etiam occasionem dedit, ut
 decisio ea, quam intuitu quaestionis propositae, quoad cau-
 sas criminales, *Noster* fecit, ad vltima rescripti verba, utpote
 quae repetere noluit, sese referat, sine iis vero subintellēctus
 paullo obscurior euadat, et sinistrae interpretationi locum fa-
 ciat. Scilicet cum D. Fratres in rescripto suo addant: *Si
 autem non sit pecuniaria causa sed capitalis; per procuratorem agi*

non licet; sed et si ea causa sit, ex qua sequi solet poena usque ad relegationem, non oportet per alium causas agi; sed ipsum adesse auditorio debere sciendum est; *Ulpianus* noster quoad causas criminales non nisi ad haec vltima verba se referens solummodo hoc addit: *Idque erit probandum et in ipso accusatore, si appellauerit, vel si aduersus eum sit appellatum.* Quare male omnino versantur, qui ex eo, quod accusatoris hic mentio fiat, non nisi de solis causis criminalibus in uniuersa hac lege agi, adeoque per causas pecuniarias utpote de quibus vnice *ICTus* verba fecit, certas causarum criminalium species, eas nempe quae multa vindicandae sunt, intelligendas esse argumentantur. Sane enim si nostra interpretatio aliunde demonstrata haud esset nec uti iam deduximus, *Ulpianus* se manifesto, respectu causarum criminalium ad praecedentia verba rescripti adscripta retulisset, non sine magna veritatis specie per accusatorem ipsum actorem civilem intelligere possemus, quoniam vel ex *l. 39. et 47. D. solut. matrim.* aliisque iuris nostri locis vt *Cuiacius ad Ulpiani fragmenta, Tit. 6. §. 10.* annotat, certum sit, interdum hasce denominationes in libris nostris confundi. Quo vero supposito, verba ipsius *ICTi* a verbis rescripti separata, de solis causis civilibus interpretaremur, et, quum in illis causae appellationis per alium reddi posse statuerit, a licentiae per procuratorem in causis civilibus comparendi positione et affirmatione ad negationem huius licentiae in causis criminalibus concluderemus. At vero iam, cum omnia plana sint atque perspicua, hocce artificio ne hic quidem opus est.

§. V.

Sed si quoque quis nobis obiiceret, esse tamen propter diuersas pecuniae significationes, ambiguum nihilominus semper et dubium quoniam in sensu vocabulum illud vsurpatum sit; nihilo minus ne haec quidem obiectio interpretationi nostrae valde noxia est. Etenim in nostro loco ipsa vox anceps pecunia vt nomen substantiae, plane non occurrit, sed tantum ceu nomen aliquod adiectum et praedicatum cum re siue controversia iudiciali coniungitur, siquidem non de pecunia ipsa, sed de re pecuniaria id

id est de lite pecuniam concernente. ibidem sermo sit. Licet igitur concedam, pecuniam non solum integrum patrimonium sed nummos aliquando designare cufos; tamen *res pecuniarias* lites quandoque denotare nummos solummodo et pecuniam numeratam concernentes, in libris nostris me legere non memini, et, si quis forte legeret, tamen non alia ratione hoc factum esse dicendum foret, quam quod pecunia etiam numerata partem patrimonii constituat. Econtrario saepe in libris nostris vti etiam in auctoribus latinis antiquis formula haec occurrit eo quidem in sensu, vt lites vel vniuersam bonorum substantiam vel res quasdam patrimonii vniuersi denoter. *Paulus in recept sent. Lib. V. tit. 15. §. 6. apud. Schulting in iurisprud. Ante inst. p. 490.* huc pertinet quando ait: *In re pecuniaria tormento nisi cum de rebus hereditariis quceritur non adhibentur; alias autem iureiurando aut testibus explicantur.* Vbi, qui causas criminales pecuniaria vindicta coercendas quaereret, vereor, sana cum mente vt insaniret. *Marcianus in L. 6. D. de publ. iudiciis. Defuncto eo, inquit, qui reus fuit criminis et Poena extincta, in quacunque causa criminis extincti debet is cognoscere, cuius de pecuniaria re cognitio est.* Nempe de iure civili aduersus heredes delinquentis mortui causa criminalis non amplius agi aut poena exequi potest ex regula, causa vero cuius ex delicto potest. *Vid tot. tit. C. ex delict. defunctor. in quantum heredes conuen:* Ad quem extat elegantissima *Tani a Costa praelatio in Cor. MEERMANNI nouo thesauro iur. civil. et canon. Tom. 1. p. 743.* Aequali plane in sensu locutio isthaec occurrit in *L. 11. C. ad L. Cornel. de falsis* ubi Imperatores: *Si lis pecuniaria apud iudices pedaneos remissa est, etiam de fide instrumenti civiliter apud eos iuxta responsum viri prudentissimi Pauli requiretur.* Sane insigniter vapulareret, qui hic causam criminalem multa luendam indicari contenderet; quasi de hac cognoscere datum fuisset iudicibus pedaneis. Plura huius argumenti loca indagare non opus valde putamus esse hoc studio quoniam virum *Cel. Barn. BRISSONIVM* in immortalis suo de verbor. in iure significat; libro plura congesisse existimamus, licet is nobis, quod dolemus, iam ad manus haud sit. Non tamen imperare mihi possum quin paucos adhuc ipsius nostri *Vlpiani* locos in eandem

omni

B 3

dem

dem rem loquentes in medium producant. Primus est in *L. 13. §. ult. de iure iurando ubi ita scriptum reprehenditur: Si quis iurauerit in re pecuniaria per genium Principis dare se non oportere.* (nonne ergo vides de causa ciuili agi) vel intra certum tempus iurauerit soluturum quidnam? An poenam forte putabis pecuniariam? nec soluit: Imperator noster cum patre rescriptis fustibus eum castigandum dimittere. Alius est in *L. 9. §. 4. D. ad L. Cornel. de falsis* cuius haec sunt verba: *Qui delatorem summisit in causa pecuniaria; eadem tenetur poena, qua tenentur hi qui ob instruendus lites pecuniam acceperunt.* Et quid clarius rem nostram conficere potest, quam si in *L. 3. de priuatis delict.* ita loquatur: *Si quis actionem, quae ex maleficiis oritur, vellet exequi; siquidem pecuniariter agere velit, ad ius ordinarium remittendus erit; nec cogendus erit in crimen subscribere.* Enimvero si extra ordinem eius rei poenam exerceri velit: *Tunc subscribere eum in crimen oportebit.* Clarum enim est et ab ipso *D. GOTHOTREDO.* ad h. l. nor. 3. agnitum, pecuniariter agere hic denotare ciuilitate agere et de illis ergo actionibus hic Nostro sermonem esse, quae ex delicto vel ad poenam priuatae, vti actio furti, vel ad meram rei persecutionem, vti conditio furtiua, tendunt. Quia etiam de crimine aliquo publico, quod poena publica coercetur, adeoque de causis criminalibus in hoc loco non agi, sed de delicto solum modo priuato et ciuili, adeoque de causa ciuili, exinde perspicuum est, quod addat: *Enimvero si extra ordinem eius rei poenam exerceri velit etc.* Notum nempe est, potuisse interdum ob solum delictum priuatum ad poenam publicam, et criminaliter extraordinaria persecutione agi. Denique eodem quoque in sensu, iidem quorum rescriptum Longino datum, Noster recitauit in lege, cuius interpretationem conamur, *D. Fratres Scythiae* rescripserunt, cuius rescripti verba sequentia in *L. 2. de procuratorib.* prostant: *Cum rem pecuniariam esse dicas, potest per maritum tuum, solemnibus impletis, appellationi aduersariae tuae respondere: Cum appellationes pecuniariae etiam per procuratores exerceri ab utraque parte ligantium possint.* Omnes vero, quae in his omnibus, aliisque pluribus legibus, pecuniariae dicuntur causae, in aliis Ictorum locis aut Imperatorum constitutionibus per eiusmodi causas diferte describuntur, quae ad par-

timo:

rimonium pertinent, et ad id, ex eo quod abest, tendunt. Ita, vt rem vno demonstramus exemplo, Imperatores Valentinianus et Valens in *L. 3. C. quorum appell. non recipiuntur* clare hoc profitentur, quando dicunt: *Nulli officialium a sententia proprii iudicis prouocatio tribuatur: Nisi in eo tantum negotio, quod ratione civili super patrimonio forte apud proprium iudicem inchoauerit.*

Praecipue vero exinde magnum auctoritatis incrementum accipit, quod ictus eam, quam diximus, superaddiderit ampliationem, nempe decisionem suam quoad causas pecuniarias factam, etiam tum plane obtinere, cum pecuniaria causa est, ex qua ignominia sequeretur. Plane inquit, si pecuniaria causa est, ex qua ignominia sequitur: Potest et per procuratorem hoc agi. Quod si enim verum est, quod vulgo contendunt per res pecuniarias intelligi criminales, hoc est tales quae poena publica licet pecuniaria vindicantur, quaeso, quid aliud hoc additamentum, haecce ampliatio continet, quam quod antecedens determinatio iam ipsa comprehendebat? Omne enim iudicium publicum, omnisque causa criminalis publica eam habet naturam, vt, qui in illa condemnatur, eum ignominia sequatur. Vid. *L. I. D. de his qui not. infam.* et *L. 7. D. de publicis iudiciis.* Quatenam ergo, amabo te, sunt causae illae criminales publicae, ex quibus ignominia non sequitur, et quarum mentionem fecit noster. Aliud vero dicendum est, si de ciuilibus, patrimoniumque concernentibus cogitas, et de his Vlpianum interpretaris. Sic enim aliae ita comparatae sunt, vt cum condemnatione infamiam coniunctam habeant, aliae vero, caeque plurimae, ignominiam inferant nullam. Sed tu forte si dixeris, regulam illam in causa criminum leuiorum, vbi non nisi poena pecuniaria sequi solet, quasque tu pecuniarias nuncupari iubes, exceptionem pati ita, vt hae interdum quidem etiam cum condemnatione ignominiae irrogationem coniunctam habeant, saepe vero nudaae sint absque famae dispendio; non multum hac de re quidem ad Te disputabo; sed licet, ob generalem plane legum nostrarum definitionem, de eo equidem omnino dubitem, vnum tantummodo

modo hoc tu velim cogites, quod infamia pecuniaria poena omnino grauior sit, atque durius coercitio; et cum in genere poena minorem absorbeat regulariter grauior atque maior, etiam infamia absorbeat multam plane, necesse est. Vid. quem honoris causa nomine, Viri Illustris *Ioh. Christ. QVISTOR-PII Grundsaetze des peinlichen Rechts* p. 106. edit. nou. de an. 1776 et, cum a potiori semper fit denominatio: Causa ea, ex qua si quis condemnatur, vel ipsa iure in eam incidit, dura infamiae nota sequitur, quomodo potest molliori nomine rei pecuniariae insigniri? —

§. VII.

Accedit nouum causae nostrae argumentum, idque perquam graue ex ipsa ratione, procuratores constituendi apud Romanos. Nimirum olim nemini licebat, per alium quendam in re quacunq; comparere, sed quemlibet ipsum, rerum agendarum suarum causa, foro adesse oportebat, paucis solummodo exceptis causarum generibus. Dicit hoc ipse Imperator *nofter*, in *pr. inst. de iis per quos agere possunt*; cum ait: *Olim in usu fuisse, alterius nomine agere non posse, nisi pro populo, pro libertate, ac pro tutela; praeterea singulariter lege Hostilia esse permittum, furti agere eorum nomine, qui apud hostes essent, aut reipublicae causa abessent, quae in eorum tutela essent.* Casus vero paucos, quos hic exceptos vides, omnes ita comparati sunt, ut *impossibilitatem* comparitionis personalis, et *necessitatem*, per alium agendi excipiendique, contineant. Quare ipsae hae exceptiones egregie euincunt, nemini olim priuilegium competisse, sponte sua, et ex ratione quadam voluntaria, per procuratorem, causae suae orandae gratia, in forum descendendi. *Conf. B. Cancell. I. H. Boehmeri diff. de dominio litit, c. l. §. 13.* Causam huius disciplinae veteris, si quaeris, eam antiquae rei formulariae Romanorum debere, facile quidem reperies, pro ut pluribus tradiderunt modo laudatus *Boehmerus l. c. §. 14.* atque *Io. Gottl. Heineccius in Syntagm. antiquitat. iur. rom. Lib. IV. Tit. X. §. 3.* Quia vero haec res, ut ait Imperator, nimiam incommoditatem habebat, ICI post varias


varias excogitatas vias, quibus salua iuris ciuili antiqui ratio-
 ne, alieno nomine agere aut excipere actionem liceret, tan-
 dem hoc glaucoma reppererunt, vt procurator, per quem
 quis causam suam reddi vellet, ab hoc dominus litis constitue-
 retur. Initio quidem translatio haecce domini litis tantum
 ex causis iustis; praesertim necessitate quadam exigente, pro-
 cedebat, postea in omnibus causis, quae alii mandari possunt,
 permittebatur. Posterius vero, vt scilicet causa ea, in qua
 quis vellet procuratorem constituere mandari possit, adeo ne-
 cessarium semper mansit, vt sine eo translatio domini litis
 fieri nequeat. Id ipsum vel sola procuratoris notio demon-
 strat, vtpote qui in sensu generali sumtus, ipso desinente
Vlpiano nostro in L. I. pr. D. de procuratorib. persona dicitur,
 quae aliena negotia mandato domini administrat; in sensu vero
 proprio acceptus, is est, qui litem alienam *praeuio mandato*,
 tanquam dominus litis gerit. Duo ergo in genere ad cuiusuis
 domini acquisitionem, quum necesse sit, vt concurrant, *titu-
 lus* nempe iustus ad acquirendum dominium habilis, et *modus*
 legitimus acquirendi: ita quoque vtrumque concurrere oport-
 rebar, si quis vellet *dominium litis* acquirere. Titulus vero
 domini litis acquirendi in *mandato domini*; modus autem ac-
 quirendi in litis contestatione continetur. Primum ergo quod
 in quaestione de domini litis translatione ante omnia respi-
 ciendum est, mandatum domini constituit, vtpote sine quo
 non existere potest procurator, *L. 24. C. de procurator.* *Anton
 Perez ad Codicem Lib. III. Tit. 13. n. 7.* adeoque viden-
 dum est: vtrum causa, in qua quis procuratorem vult consti-
 tuere ita comparata sit: vt alteri mandari possit, ex quo tan-
 dem diiudicatur; vtrum dominium litis transferri possit et
 procurator admittatur; quandoquidem *defectus mandati* perpetuam
 litis gestae nullitatem inuoluit. *Boehmer cit. diff. §. 26.*
Ioan Voet ad Digesta Lib. III. Tit. 3. §. 9. Quemadmodum
 enim deficiente titulo, modum quoque acquirendi respectu
 cuiuscunque domini, cessare oportet; ita etiam deficiente
 mandato litis contestatio cessat. Nam qui mandatum non
 habet, aut plane exceptione deficientis mandati a iudicio re-
 pellitur, nec ad litis contestationem admittitur, aut certe si
 C admit-

admittitur, facta litis contestatio nulla est. Iam vero, quum dominium litis adeo necessarium sit in constituendo procuratore de iure Romano, ut is sine eo existere nequeat, illud vero non nisi litis contestatione acquireretur, prono alio sequitur, in omnibus iis rebus aut causis, quae ex principiis Romanorum mandari non possunt, nec procuratorem dari posse. Res vero quae mandari possunt de iure Romano, et in quibus adeo dominium litis transferri, hinc procurator constitui potest, sunt omnes omnino causae 1) privati arbitrii et 2) quae actualem personae praesentiam in actu quodam expediendo haud requirunt. Exceptae igitur sunt, nec iure Romano mandari possunt 1) actus legitimi, utpote qui personae praesentiam actualem postulabant solemnitatis causa L. 77. L. 123. pr. D. de R. I. Io. Gottl. Heinemann element. iur. civil. secund. ordin. inst. §. 70. 2) causae criminales, in quibus de cognoscendo crimine, et infligenda poena publica agitur, utpote quae non sunt privati arbitrii; quemadmodum praeterea propter salutem publicam et ob faciliorem cognitionem expediatur, accusatorem, et reum ipsos habere praesentes; quare tum accusatoris, tum rei actualis praesentia necessaria erat apud Romanos. Accusator enim postquam reum in ius vocauerat, et a praetore, ut sibi liceret, nomen deferre, postulabat, ipse die constituta in ius venire, nomenque eius, quem deferre in animo habebat, praesens deferre tenebatur, tum, ut iudex eum, qui ius accusandi habebat, sciret; quandoquidem non temere leges cuilibet accusandi potestatem indulgebant, tum quia olim delatio nominis in iudicio idem id esset publico, quod in privato intentio litis, et sic verosimile videatur, easdem formulas actionum, quoad res passa est, recitatas fuisse. Quin etiam deinde post lectos iudices et probationes institutas, die cognitionis consilio a praetore aduocato, ipsa accusatio iterum ab ipso accusatore praesente, qui dicendi potestatem acceperat, instituenda erat, isque tum praesens in crimen subscribebat. Verum enim vero eadem quoque praesentia a parte rei quoque necessaria erat. Utrunque enim postulatio accusatoris etiam absente reo, in quem fiebat, fieri posset; tamen die constituta, ubi delatio nominis ab accusatore facienda erat, etiam is cui accusatio parabatur, ut praes-

praesens esset eoque praesente delatio fieret, necesse erat; multo vero magis posteaquam ad accusationem solemnem ventum esset, comparitio personalis accusati requirebatur, quare quoque is non minus, quam accusator ante diem cognitionis citabatur. Clare enim *M. Tullius Cicero* pro *Cluentio* c. 16. citatur, ait, *reus, agitur causa, paucis verbis accusat, ut de re iudicata, Caninius. Incipit respondere maior Cepasus.* Tamen praeter reum ipsum *defensores* quoque, quin et *laudatores* interdum, adfuisse temerarie negare non aulim; quos vero si quis procuratores haberet, is summa imis, quadrata rotundis misceret, quandoquidem *defensores* semper in iudicio praesentis partes susciperent, cum contra, respectu procuratorum, absentia aut praesentia principalis res plane indifferens esset. De caetero cum omnia haec fusius persecutus sit atque probauerit *Carolus Sigonius* de *iudiciis* Lib. II. c. 7—24 in *aper. de antiquit. iure popul. Rom.* Tom. II. p. 551. lubens quidem ad eum, qui plura hac de re legere cupit, ablego. Sed quorsum haec omnia? Ut intelligas, amice lector, ex ipsa antiqua iudiciorum publicorum agendorum ratione causas criminales obiectum mandati haud constituisse, hinc neque in illis dominium litis transferri, neque procuratorem constitui potuisse. Missis vero antiquitatibus, ea, quae contendimus, ex ipsis libris nostris tum in pandectis, tum in Codice servatis legibus, iisque bene multis probare possumus, utpote ex quibus constat, causas criminales mandatum atque translationem dominii litis penitus respuisse, idque hac quidem naturali ex ratione, quod nemo qui ipse rei alicuius dominium non habet, aut de illo pro arbitrio disponere non potest id, quod ipse non habet, in alium transferre valeat; causae vero criminales privati arbitrii non sint, et hinc quoque dominium litis in alium transferri haud patientur. Inter alia juris nostri loca huc pertinet effatum. *Papiniani* in *L. pen. ult. §. 1. D. de publ. iudiciis: Ad crimen iudicii publici persequendum frustra procurator interuenit, multo magis ad defendendum; sed excusationes absentium ex senatusconsulto iudicibus allegantur.* De ipso accusatore similis existat *Diocletiani* et *Maximiani* constitutio in *L. 16. C. ad l. comeliam de falsis.* Sed video mihi obiectum iri, quod re-

aple GOTHOFREDVS *ad cit. L. pen. ult. D. not. r.* obiecit, leges hasce de iis tantum intelligendas esse criminibus quorum poena capitalis aut corporis afflictiva est, non vero ad ea trahi debere, quae poena non corporali veluti pecuniaria, coercentur. Primum vero notissimum est, lege non distinguente, nec interpretem legis distinguere debere; deinde quod eadem quoque principia tenenda sint, etiam si poena corporalis crimen haud sequatur, id velim ab eodem PAPINIANO audias. Is enim in *l. ii. §. 2. D. ad L. iuliam de adulteriis* breuiter quidem; sed hisce: *Ea, inquit, quae inter reas adulterii recepta esset, absens defendi non potest.* Iam vero certum est, tum adhuc temporis et ante quidem, quam CONSTANTINVS Imperator in *L. 30. C. ad L. iul. de adulteriis*, gladii poenam crimini adulterii minatus fuerit, illud poena nec capitali, nec corporali, sed relegatione et pecuniaria poena; nempe partis donorum publicatione esse vindicatum. Conf. PAVLVS in *recept. sentent. Lib. II. tit. 26. §. 14.* TACITVS *Annal. Lib. II. c. 34.* Tac. CVMICVS obseruat. *L. VI. c. ii. Lib. XX. c. 18. L. XXI. c. 9.* Ger. NOODTII *Diocletianus c. XV. in oper. Tom I. p. 248.* Fr. DVARENVS *ad Digest. Lib. 48. Tit. 5. c. IV. in operib. tom. I. p. 1554.* Ant. SCHVLTINGIVS in *urispr. anteuysiniana p. m. 321.* Iof. Lud. Ern. PÜTTMANN *interpret. c. XXXV.* Certum ergo, clarumque vt spero, fiet propterea, quod causae criminales privati arbitrii non sint, neque eam ob causam mandari possint, eas, cuiuscunque caeterum sint rationis atque effectus, nec dominii litis translationem, nec ergo procuratoris constitutionem admittere. Et id tandem ipsos dissidentes oportet largiri; ita sane vt, si quis Stryckium audiat super illa re edifferentem, Stryckium cum ipso Stryckio aperte pugnare deprehendat, necesse sit. Ita enim ille ipse in *cit. vsu mod. tit. de procuratorib. §. 2. et 3.* Qua propter, ait, *necessum duco, in causas exceptas inquirere, illisque praxim hodermanam applicare, quibus iure Romano procurator non admittebatur. Et quidem generaliter praemittendum esse censeo, in omni illa causae, quae in arbitrio actoris est, posse constitui procuratorem; cum enim non nisi dominus causae L. 1. pr. ff. de procurat vel ille, qui iuris auctoritate liberam rei administrationem habet, procuratorem constituere*

tuere valeat; consequens est, causam arbitrio actoris excusantem procuratorem non admittere. — Ex parte accusatoris procuratorem non admitti, constat ex L. pen. §. 1. ff. de publ. iud. Rationem reddit Vlpianus in L. 7. pr. ff. de accusat. quia tenetur in crimen subscribere, ne facile quis ad accusandum prosiliat ob metum poenae talionis L. fin. C. de accusat. ob quam causam ius canonicum quoque repellit Procuratorem c. 5. X. de procuratorib. quamvis in ipsa subscriptione certo modo admittatur procurator L. 3. §. 2. ibi: Alium pro eo ff. de accusat. Repeti poterit superior ratio: Quia interesse publicum, quod accusando persequitur actor, non in eius arbitrio est; ergo nec ipsi liberum esse debet, an ipse, an per alium accusare velit. Sed et idem de altero viro superius nominato, nempe B. Canc. BOEHMERO, dicendum est. Nam et is cit. *diff. de potest. procurat. in causis crim. §. IV. et VI.* idem fere statuit. Quando vero omnibus ipsis ratio, quare procuratores in criminalibus haud admittantur, in eo posita est, quod haec *priuarii arbitrii* non sint, neque adeo *translationem domini litis* permittant, sane idem illud quoque de iis statuendum causis est, in quibus obtinet poena pecuniaria. Nam et hae neque *priuarii arbitrii* sunt, neque propterea *dominium litis* transferri patiuntur. Vbi igitur eadem obtinet ratio, ibidem secundum vetus illud adagium, eandem quoque dispositionem obtinere, locumque habere oportet. Sane qui secus sentiunt, non modo in hanc regulam certissimam peccant, verum et sibi ipsis contradicunt. Audias, quaeso, saepe laudatum BOEHMERVM in *diff. de dominio litis c. II. §. 21.* ita rationes subducentem: In criminalibus regulariter non datur procurator, ex parte accusatoris; quia non *priuatim*, sed *publicum interesse* persequitur. Aliud vero obtinet, si criminis persecutio ad actoris interesse *priuatim* insituatur, e. g. in omnibus delictis tam *priatis* quam *publicis*, si *civiliter* agatur vel *ad poenam pecuniariam* cet. Quasi vero, si ad poenam publicam *pecuniariam* agatur, non itidem *publicum*, sed *priuatim* suum proprium interesse persequeretur. Sane quid est, res plane diversas confundere, naturae rerum repugnare, sibi que ipsi in os contradicere, si hoc non est?



§. VIII.

Præterea interpretationi nostræ succurrit, constans, qui in libris nostris est, *loquendi usus*. Quodti enim singula quis excutiat iuris nostri loca, ubi rerum civilium fit mentio, sæpe has rerum pecuniarum denominatione denotari deprehender. Dedimus iam supra huius rei quaedam specimina, quibus, si nunc talia ulterius pertractandi animus esset, atque per instituti rationes liceret, plura addenda fuissent. Evidentius vero adhuc siue dubio, eum, quem diximus loquendi usum, conficiunt, proptereaque magis omnino reliquis illa notari merentur loca, in quibus ipsa illa causarum in civiles et criminales traditur distinctio. Cum enim in his, non in solita sit dictio illa *res pecuniariae* eaque causæ civiles insigniantur, dum contradistinguuntur criminalibus, nescio sane, quid clarius, satiusque probari possit: Sub denominatione rerum pecuniarum non criminales aliquas persecutiones, sed illud causarum genus, quod rei persecutionem, atque, id, quod patrimonium concernit, pro obiecto habet, comprehendit. Ex pluribus, quæ huc pertinent, unicum audiamus *ARCADIUM* et id quidem ex ratione, quam mox dicemus. Ille autem *ICTUS*, cuius memoriam nuper eleganti monumento instauravit *V. Cl. Chr. RAV* Antecessor in Academia Lipsiensi celeberrimus, is inquam *ICTUS* in *L. I. §. I. D. de testibus* hisce verbis vitur: Adhiberi quoque testes possunt, non solum in criminalibus causis, sed etiam pecuniariis, sicuti res postulat: Et hi, quibus non interdicitur testimonium, nec vlla lege a dicendo testimonio excusantur. Vides hic, amice lector, carissimum nostrum, nam et hoc nomen illi fuit, lites pecuniarias manifeste a criminalibus causis distinguere, easque his suo modo opponere, certissimo iudicio, pecuniarias lites ad criminales causas nequaquam pertinere. Quod tu mihi si concedas, victoria meis in manibus est. Certe hic locus inter reliqua, quæ sunt eminentior, eamque ob causam ad probandum magis idoneus visus est, quod ne quidem generaliorem rerum voce istius auctor utatur, sub qua et criminales causæ continentur, sed voce *litium* usus sit, quæ, ut constat, apud Auctores veteres, et iuris nostri conditores de causis quidem civilibus post lites

conten-

contestationem factam, non aequè frequenter autem de causis criminalibus solebat usurpari.

§. IX.


Tandem agmen argumentorum claudat, egregia, magnamque interpretationi atque sententiae nostrae pondus addiciens, Imperatoris Zenonis constitutio, in L. II. C. de iniuriis. Exstat et huius tenoris: Si quando iniuriarum actio (quam inter priuata delicta veteres iuris auctores connumerant) quibuslibet illustribus viris militantibus, seu sine cingulo constitutis, vel vxoribus eorum, vel liberis masculini sexus, vel filiabus, (superstitibus videlicet patribus, aut maritis illustribus,) vel si aduersus aliquam huiusmodi personam criminaliter forte mouetur ipsos quidem, qui super iniuria queruntur, inscribere aliaque omnia, quae in huiusmodi causis de more procedunt, solemniter obseruare decernimus: licere autem illustri accusatori vel reo, vel vxori, vel liberis masculini sexus, seu filiae itidem illustris superstitis, causam iniuriarum in quocunque iudicio competenti per procuratorem criminaliter suscipere, vel mouere; sententiam iudice contra eum, qui procuratorem dederit, etsi ipse non adesset iudicis, sed causam per procuratorem diceret, legibus prolaturo: ita tamen, vt nullus alius idem sibi audeat vindicare, vel a nostro numine postulare: sed in caeteris mos iudiciorum, qui hactenus obtinuit, in posterum seruetur intactus. Quae quidem constitutio, et imprimis clausula subiecta: quod nemo alius praeter illustres, ius sibi adrogare debeat, in causis iniuriarum criminaliter intentatis, per procuratorem vel accusare, vel contra motam accusationem se defendere, euidenter probat, non licuisse iure romano, in causis criminalibus per procuratorem conparere. Quare si vulgaris loci nostri Vlpianici vera esset interpretatio, aperto Marte cum Vlpiano haec, quam adduximus, Zenoniana constitutio, pugnaret. At Tu vero, inquit forte aliquis, quomodo potes ab Vlpiano, qui aetatem Zenonis non vidit, sed longos ante hunc annos floruit, expectare, vt is quaestionem propositam secundum constitutionem,

nem, quam non vidit, Zenonis resolveret, aut ab hoc Imperatore iure tuo postulare, ut noua constitutione sua, veteri iure, ab Vlpiano proposito, nulla ratione derogaret? Verum enim vero causa, me ab his quidem obiectionibus quae liberat, in ipsa hac constitutione comprehensa est. Etenim nullo modo is sum, qui, quae in liberis veterum Ictorum occurrunt, cum constitutionibus Imperatorum, in Codice seruariis, exacte conuenire censeat, aut propterea, quod Zeno in sua constitutione procuratores a publicorum iudiciorum limine arceat, Vlpianum, ne scilicet is Zenoni in faciem veluti contradicat, ita intelligendum esse putet, ut suavis intra vtrumque intercedat consonantia. Sed contradictionem illam propterea statuo, quod Zeno imperator non solum illustribus viris, vel eorum vxoribus, liberisque causarum criminalium per procuratores peragendarum facultatem per modum *exceptionis*, atque iuris singularis nouiter demum indulserit, utpote ex quo consequitur, ante hanc suam constitutionem et communi Romanorum iure nemini licuisse, causas criminales per procuratorem ventilare; sed etiam disertis adeo verbis morem istum iudiciorum, ob quem quilibet in causis criminalibus ipse in persona, haud vero per alium quendam, foro iudicioque adesse debebat, quum in posterum respectu caeterorum, qui ad personas, priuilegio isto singulariter ornatas, non pertinent, intactum seruari vult, haecenus obtinuisse, testetur. Iam vero aut Interpretes, qui Vlpianum, sub rebus pecuniariis causis criminales, multa vindicandas, comprehendisse, et in his procuratores admisisse, arbitrantur, verum illius mentem, verborumque eius genuinum sensum praeteruiderunt, aut quoque ZENO Imperator, quod de omnibus causis generaliter asseruit, ante se in illis procuratores admissos non fuisse, falsum est. Quod posterius autem vereor, ut tam durae frontis quis sit, qui affirmare conetur. Quae itaque cum ita sint, etiam ex hac Imperat. constitutione clare constat, causas criminales iure Romano, et quidem ante ipsius priuilegium illustribus datum, quoad omnes omnino personas actualem, et accusatorum et reorum praesentiam requisivisse, procuratores autem penitus respuisse. Quod autem inprimis ex hac constitutione notari

notari meretur, in eo consistit, ut illa de causis criminalibus iniuriarum agat, et in his quidem morem iudiciorum, qui procuratores arcebat, obtinuisse restetur. Cum enim vulgo opinentur, haec quidem ita sese habuisse in causis criminalibus morte aut coercitione corporali plectendis, haud vero ad illas pertinuisse, quas secutura est non nisi coercitio leuior aut poena pecuniaria, facile poterat his quidem in mentem venire, uti venisse certum est, loca ea, quae produxiimus ad probandum, in criminalibus comparitionem reorum necessariam fuisse personalem, non nisi de grauioribus criminibus, quorum poena capitalis esset aut corporalis, intelligenda esse. Sed hoc quidem dubium mire tollit haec, quam excitauimus, augustalis constitutio. Causis nimirum iniuriarum poena quaedam publica haud determinata est, hinc si de iniuria criminaliter agitur, ut statuit Imperator Iustinianus in §. 10. *Inst. de iniuriis* officio iudicis poena reo irrogatur *extraordinaria* et a iudice *arbitrarie determinata*; quae ergo, re ita ferente, et quidem frequentissime, potest esse pecuniaria. Sane nihil in contrarium mouet Paulus, qui in *L. 42. D. de procuratorib.* in iniuriarum actione, ex lege Cornelia oriunda, procuratorem admittit; haec enim actio mere civilis est, et ad poenam priuatam atque aestimationem instituitur *L. 37. §. 1. D. de iniuriis*; quam quidem rationem ipse aperuit Paulus, cum ait: *Nam etsi publica auctoritate exercetur priuata tamen est.* Actiones vero ad interesse priuatum tendentes, et civiliter intentatas, vti ex delictis descendunt, per procuratorem agi posse, nos nunquam negauimus. Vid. *Io. Orthe. WESTENBERG* ad *D. tit. de procuratorib. §. 5.* Et idem quoque hoc merito de aliis iuris nostri locis, veluti de *L. II. §. 2. D. de iniuriis*, ubi quem legimus, vel per se vel per procuratorem iniuriarum agere posse, iudicium sumendum est; cum contra regula iuris antiqui fuerit apud PAVLUM in *recept sentent: Lib. V. tit. 4. §. 12. iniuriarum non nisi praesentes accusare, vel accusari posse*, quando nimirum causa ea, criminaliter, non vero respectu eius, quod ratione patrimonii alicuius interest, civiliter agitur. Ex quo quidem PAVLI loco iterum liquet, etiam in causis criminalibus leuioribus, poena arbitraria et pecuniaria coercendis, non licuisse olim, per procuratorem

D

compa-



comparere, hinc vera esse, quae ante se haecenus scripsit Zeno.

§. X.

Et ita; in quod nos dedimus iter iam quidem confecimus. Sed ne quid supersit, quod nobis obiici posse videatur, quaedam adhuc addenda existimo. Scilicet, cum in verbis illis rescripti, quod noster protulit, Imperatores inter causas *pecuniarias et capitales*, non autem *criminales in genere* distinguant, suspicari quis possit, ipsos generalem causarum criminalium partitionem, in capitales inque non capitales iniisse, has ultimas vero iterum in *pecuniarias et non pecuniarias* distinxisse ita ut in capitalibus quidem *semper*, in non capitalibus vero *tunc solummodo*, si non pecuniariae essent, procuratores repellerentur; praesertim cum diserte addant: *Sed et si ea causa sit, ex qua sequi solet poena usque ad relegationem, non oportet per alium causas agi*; utpote ex quibus verbis constare autumant, causas, ex quibus sequi solent poenae *relegatione leuiore*, procuratorem admittere. Vid. si lubet, cit. BOEHMERI *diff. de potestate procuratoris in causis crim.* §. 17. sq. et Ioh. ORTII WESTERBERG in *D. Marco diff. XXI.* §. 3. p. 223. Enimvero *causa criminalis*, quam Ulpianus in hac lege tractat, et quae in quaestione: *utrum per procuratorem causae appellationis reddi possint, quando civilibus seu pecuniariis causis opponitur*, vnicuique intelligenda est, ut supra (§. III.) obseruauimus, ea dicitur causa, quae eo tendit, ut ob factam laesionem publicam poena infligatur publica. Quam, quidem rerum criminalium propriam notionem, ut probemus, iter alias ad L. 3. D. de delictis priuatis, L. 92. D. de furtis, L. 9. §. 5. D. de publicanis et L. 16. C. ad L. Corn. de falsis prouocabimus. Complectitur illa non solum eas causas, quae poena vindicantur *capitali*, verum etiam alia, quam *capitali*, poena publica coercedas. Potest enim, ut inter omnes constat, et a Paulo in L. 2. D. de publicis iudiciis eleganter traditur, poena publica aut *capitalis esse*, aut in *relegatione consistere*, aut corporis afflictiva aut honoris amissio, aut multa esse. Jam ergo, licet D. Fratres in verbis rescripti in quaestione: *Utrum causae appellationum per procura-*

curatores reddi queant, non omnes causas *criminales* in genere, sed solummodo *capitales* rebus contradistinxisse pecuniariis videntur; nullum tamen superesse puto dubium, quin sub denominatione *rerum capitalium* hic causae quaecunque criminales publicae intelligi debeant. Primum enim notum omnino est, causam criminalem saepissime adeo late sumi, vt quascunque causas publica coercitione dignas comprehendat. Quanquam enim in sensu stricto ea tantum causa dicatur capitalis cuius poena caput rei *naturale* aut *ciuile* adimit, hoc sensu, vt, si status ciuilis amissio imminet, id quod in exilio et aquae et ignis interdictione contingit, ea quoque causa ad capitales referenda sit, quo in sensu in *L. 2. D. de iudic. publ. L. 4. pr. D. si quis caut. in iudic.* vsurpatur; in sensu *strictissimo* illa solum intelligitur, quam *ultimum supplicium* sequitur, vt in *L. 1. D. de bonis eorum qui ante sentent. L. 21. D. de poenis*; tamen in sensu lato et eae nonnunquam causae audiuntur capitales, quae neque ciuilem vitam adimunt, sed alia *coercitione* puniuntur *publica*. Docet hoc *MODESTINVS* in *L. 103. de V. S.* cum ait: *Capitalem latine loquentibus omnem causam existimationis videri, licet appellatio haec propria mortem, vel amissionem ciuitatis denotet.* Deinde ipsi Imperatores verborum suorum interpretes sine dubio optimi, sic clare definiunt, sub capitalibus causis se quascunque causas, poena publica vindicandas, intelligere, quandoquidem, dubium omne, quod inferere cuiquam posset anceps et aequiuoca rerum capitalium denominatio, veluti exenturi, diserte addant: etiam eam huc pertinere causam, ex qua sequi solet poena vsque ad relegationem: *Sed et si ea causa sit, ex qua sequi solet poena vsque ad relegationem, non oportet per aliam causas agi, sed ipsum adesse auditorio debere sciendum est.* Etenim sicuti per se constat, neque a quopiam, cui in sano sana mens est corpore, in dubitationem vocabitur, relegationem, quam hic ad capitales causas referunt Imperatores, vitam naturalem non adimere, adeoque ipsos in sensu *strictissimo* non sumissee causas capitales; ita quoque nec ad poenas tales referri potest relegatio, quae reum *capite ciuili*, et statu ciuitatis exiunt; vtpote quae in eo ab exilio differt, quod hoc ciuitatis iura adimat, illa vero his

saluis fiat. Quare nec in sensu *stricto* denominationem rerum capitalium usurpare potuerunt Imperatores, quia tunc ad eas referre haud potuissent causas relegatione puniendas, utpote quae, rebus capitalibus, in sensu *stricto* acceptis, ad causas non capitales pertinent. Audi Paulum in saepe cit. *L. 2. D. de publ. iud.* qui utrumque, nempe relegationem *capiti* damno non esse, causamque relegatione coercendam ad non *capitalia* spectare, his verbis egregie testatur: *Publicorum iudiciorum quaedam capitalia sunt, quaedam non capitalia. Capitalia sunt, ex quibus poena mors aut exilium est, hoc est aquae et ignis interdictio; per has enim poenas eximitur caput de ciuitate; nam coetera non exilia sed relegationes proprie dicuntur; tunc enim ciuitas retinetur.* Ex quo igitur satis intelligitur, Imperatores in hocce rescripto causas *capitales* in sensu lato, proiis, quarum poena quaeuis publica est, accepisse. Neque praeterea hic solummodo denominatio rerum *capitalium* in hoc sensu occurrit, et rebus *pecuniariis* opponitur, sed ea pari omnino ratione etiam in aliis iuris nostri locis celebrantur. Ita Paulus in *L. 10. D. de feriis et dilationib. in pecuniariis*, inquit, *causis omnis dilatio singulis casibus plus semel tribui non potest. In capitalibus autem reo tres dilationes, accusatori duae dari possunt; sed utrumque causa cognita.* Sed nemo, quod sciam, ambigit, quoad hunc locum tum vel sub causis *pecuniariis* intelligere causas *ciuiles*, bonorumque persecutionem concernentes, tum *capitales* interpretari causas *criminales in genere*. Vid. e. g. B. Cancell. Boehmeri *Introduct. in ius digest. L. II. T. 12. §. 9.* Quod quidem prius vel ideo maxime notandum hic est, quod inde constet, quam parum sibi met ipsis consent, qui in loco nostro Ulpiano res *pecuniarias* de *criminalibus multa puniendis* interpretantur. Sed nec dubito eundem Paulum eundem in sensum interpretari, quando in *recept. sentent. L. V. Tit. 16. §. 5. apud Anton Schultingium in iurispr. Anteiust. p. 492.* ait: *Serui in caput domini neque a Praeside neque a procuratore, neque in Pecuniariis, neque in Capitalibus causis interrogari possunt.* Certe enim, ut ipse obseruauit vir maximus Iac. Cuiacius ad hunc locum, praeses cognoscebat de crimine, procurator uero de bonis, non de crimine uti innunt *l. 1. et 2. C. ubi cau. fise. vel*

vel diu. dom. Denique etſi quoque liberaliter quaſi cum aduer-
 ſariis, ſi qui ſunt, noſtris acturi, hoc demus, D. fratres per
 res capitales ſolas intellexiſſe cauſas morte luendas; tamen
 Ulpianus haec reſcripti verba ſua fecit; eumque in modum
 interpretatus eſt, vt iis, quae ipſe protulit conueniant. Recte
 enim iam dudum ab aliis viris doctis animaduerſum eſt, ſaepe
 in verbis veterum iuris auctorum, a recentioribus iurium ar-
 chitectis compilatis, interpretandis, diſcrimen tenendum eſſe
 inter mentem, quam habuerunt earum *veri primique auctores*,
 et mentem, quam poſtea illis tribuerunt compilatores eorum.
 Obſeruauit hoc, vt excerptis vtar. *B. Ge. Chriſt. Gebauerus*
in diſſ. ſat eleganti de iuſtitia et iure §. 9. occaſione definitionis
 iuriſprudentiae, nec non *Iacobi Voorda Elect. c. 22.* et nuper
 celeberrimus *Io. Chriſt. Woltſaer V. C. in diſſ. de vita petendae*
reſtitutionis in integrum praetoriae. Iam ergo cum Ulpianus
 generaliter de omnibus criminalibus cauſis loquitur; cum ait:
Quae res in rebus pecuniariis et in criminibus agitari conſuevit;
 verba quoque reſcripti, quae allegat, huic conuenienter in-
 telligenda ſunt, ſiquidem fieri non poterat, vt Ictus ea, quae
 de cauſis tantummodo capitalibus valerent, generaliter de om-
 nibus criminibus praedicaret. Satis igitur ſuo exemplo pro-
 bavit Ictus in hoc loco, non corrici verborum inhaerendum,
 ſed potius mentem ac rationem illius ſpectandam eſſe,

§. XI.

Ne vero in quaestione vſu forenſi plane deſtituta et peni-
 tus inutili operam conſumiſſe videar, lubet absoluta legis
 noſtrae interpretatione, quaedam de vſu illius vel non vſu
 breuiter quidem diſſerere. Communis doctorum ſententia
 eo redit, vt in cauſis quidem criminalibus poena pecuniaria
 aut relegatione maioribus etiam hodie procurator haud ad-
 mittendus ſit pro reo, ſed hunc ipſum capi, carceri manci-
 pari, et ex eo propter crimen reſpondere ſeque defendere
 oporteat, vtique igitur hac ratione in his cauſis quoad pro-
 curatorem pro reo conſtituendum, vix quidquam vſu aliter
 obſineat, quam iure romano cautum eſt. Quodſi vero cauſae
 ſint

sint leuiore, et procuratores pro reo admittendos censent,
 et sic respectu earum causarum, quarum poena in multa
 consistit, cum has ab Vlpiano per res pecuniarias intelligi ar-
 bitrantur, ius romanum pariter apud nos valere, existimant,
 et tantum in eo usum a lege nostra recedere, quod etiam illae
 causae, quas securura relegatio, procuratorem propterea ad-
 mittant, quia relegatio talismodi moribus facile in poenam
 pecuniariam conuerti possit. Quid quod plane exinde con-
 cludunt, hodie priuilegium Zenonis Illustribus datum et supra
 §. XII. a nobis expositum inane fieri et apud nos etiam perso-
 nis non illustribus in causis iniuriarum procuratorem conce-
 dendum esse. Ita inter alios sentiunt *Samuel Stryk in V. M.*
tit. de procurat. §. 9. sq. *Gerh. Chr. Frid. Meister in princip.*
jur. crimin. §. 526. et *in der ausführlichen Abhandlung der pein-*
lichen Processen in Teutschland, Sect. I. c. 9. §. 13. p. 290. *I. H.*
Boehmerus saepe cit. diss. de potestat. procurat. in causis crimi-
nalib. §. 31. et in diss. de dominio litis, c. II. §. 21. Enim vero
 minus recte, si quid video. Neque enim haec principia de
 admittendo procuratore in causis criminalibus multa coer-
 cendis, ex nostra legi, deduci, probarique possunt, id quod
 satis in praecedentibus demonstratum existimo; neque etiam
 illa in foris nostris sequenda et a dispositione iuris romani in
 lege a nobis explicata, conspicua, tam quod ad causas multa
 puniendas, tam quod ad causas relegatione coercendas, attri-
 net, vlllo modo recedendum esse, equidem persuasum mihi
 habeo. Primum enim, quando, vt in hac quaestione factum
 haud memini, legibus germanici, iuris romani capitibus non
 derogatum esse constat; dubio omni caret, legibus romanis
 strictissime standum esse. Quare non solum is mire vapularet,
 qui legem nostram de causis quibusuis criminalibus agere, et
 sub denominatione rerum pecuniariarum ciuiles causas intel-
 ligere, nobis concederet; nihilominus autem, haec ita am-
 pliùs obseruanda esse, obiiceret. Verum etiam omnes illi
 procul omni dubio insigniter peccant, qui crimina relegatione
 digna procuratores hodie admittere contendunt. Quemad-
 modum nec in eo me quidem consentientem habebunt, quod
 omnibus hodie, in causis iniuriarum criminaliter motis, per pro-
 curatores

curatores comparere permittant. Etsi enim illustres viri in hoc sensu, quo illi in ista lege accepti sunt, hodie nos non habeamus, adeoque his datum priuilegium vsu careat; tamen *clausula legis*, per quam omnes alii, qui illustres non sunt, potestate procuratoribus vtendi priuantur, omnino adhuc dum valet, neque etiam absque fatuitate plane admirabili priuilegium illustribus datum propter eam causam, quod his apud nos deficientibus priuilegii vsus cesset, omnibus omnino largiendum esse, defendi poterit. Deinde quando obiiciunt, hodie apud nos translationem domini litis in procuratores nostros cessare, equidem omnino idque lubentissime concedo, prouti illud pluribus probatum dedit laudatissimus Boehmer *diff. de dominio litis c. III.* Nihilominus principalis quaestio, quae ante omnia discutienda est, quando de licentia in causis criminalibus procuratorem constituendi agimus, non tam in eo consistit, vtrum dominium litis in procuratorem transferatur, et iura atque obligationes exinde prouenientes obtineant, quam potius in eo: Vtrum causae criminales adeo comparatae sint, vt alii cuidam mandari possint. Quandoquidem iam non de iuribus et obligationibus admissi et per litis contestationem iam facti procuratoris, sed de procuratore demum constituendo et admittendo sermo est; cum si procurator constituitur, non id, vtrum dominus litis fieri queat, sed an causa ea mandari possit, consideratur; quemadmodum nec Vlpianus quaestionem eam mouet, vtrum in causis criminalibus procurator dominus litis fieri posset, sed de eo egit: Num causae criminales mandari, inque illis procurator constitui queat. Sicuti igitur, facultas causas suas alii cuidam mandandi prius spectanda erit, et ab ea ipsa translatio domini litis, secundum leges romanas dependebat; ita etiam nunc ex doctrina iuris romani de mandato, procuratoris constituendi licentia diiudicanda est. Iam vero cum iure romanorum, nullas causas criminales, neque adeo etiam eas, quae poena tantum aut relegationis, aut pecuniaria coercentur, mandari alii cuidam possunt, et haec quidem leges nullibi, quantum scio, iure patrio atque domestico, abrogatae sunt, prono sequitur alieo, eas nec hodie mandari, hinc procuratorem in illis constitui non posse.

Interim id, quod dixi non ita velim intelligas, vt plane nullos actus in causis vere criminalibus aliis committi posse putem, vtpote qui de solis illis actibus loquor, qui mandari nequeunt. Namque constitui potest procurator vel ad totam causam, vel ad singulos actus tantum. Prius solum in causis civilibus, et quidem eatenus procedit, quatenus omnes actus causa ea comprehensi ita comparati sunt, vt possint alii committi. Posterius in causis criminalibus aequè fieri potest, et quidem quoad eos actus, quorum natura mandatum admittit, vtpote quales in iudicio criminali omnino occurrunt. Refero eo e.g. excusationem absentiae, petitionem salui conductus, videre testes iurare, inorulationem actorum, oblationem atque productionem defensionis, caet. Econtrario autem actus qui mandari alteri cuidam non possunt, illi et procuratorem non admittunt, veluti responsio ad articulos aut accusationis libellum, tortura, territio, confrontatio caet. Confer. Illustris MEISTER *loc. cit. Sect. I. c. 9. §. 14. 15. p. 291.* Ioann Paul KRESS. *Comm. succ. ad CCC. art. 33. not. 2.* B. BOEHMERVS *introducitur in ius dig. tit. de procurat. §. 15.* Id quod propterea obseruasse iuuabit, ne quis forte nobis ira sentientibus et omnem omnino vsum in causis criminalibus negantibus *art. XII. CCC.* opponat. Equidem de procuratoribus reorum, de quibus tamen hic quidem potissimum agimus, non minus in hoc articulo quam in vniuersa Nemesi carolina altum silentium est. Nihilominus cum procuratoris proaccusatore mentio clam fiat, verbis: *Soll der Ankläger oder sein Gewalthaber,* concludere inde quis posset, etiam procuratorem a parte rei esse admittendum, idque eo rectius quidem, quo maior iuris romani prohibitio est de non admittendo procuratore ex parte accusatoris quam ex parte rei, et sic rectè omnino a maiori ad minus concludatur. Nihilouero minus hoc non ita intelligendum est, ac si procurator a parte accusatoris ad totam simpliciter causam ex mente Imperatoris admittendus sit. Sufficiente enim cautione praestita pro accusatore admittitur procurator non nisi in illis actibus causae motae, qui mandari perque alium expediri fierique possunt. Et sicuti de

de his intelligi oportet Imperatorem, ita et idem illud respectu procuratoris a reo constituendi pariter obtinere facile concedo.

§. XIII

De cetero, quae hic generaliter de usu legis a nobis exposita et de non admittendis pro reis in causis pecuniariis procuratoribus secundum ius commune differuimus, ea, quin in specie quoque in terris megapolitanis, et potissimum in causis fiscalibus, pariter obtineant, equidem nullus dubito. Videlicet ad determinandam quaestionem: *Vtrum delinquentes statim initio processus capiendi carcerique mandandi; an vero mediante citatione ad audiendam cognoscendamque causam procedendum sit, secundum leges megapolitanas et quidem per Reuersal. de an. 1572. art. 3. distinctio causarum criminalium in maiores easque manifesto tales et minores vel certe non manifesto maiores vnter offenbahren höchst strafflichen peinlichen Fällen, vnd vnter solchen die es nicht sind, seruari debet.* Ad illas pertinent crimina, in quae 1) legibus poenae capitales aut corporis afflictivae, aut hissiles constitutae sunt simpliciter et 2) de quibus leuiorem poenam locum habituram esse nullum, certum est. Ad has vero referendae sunt illae, quae certe et indefinite non nisi leues sunt, nec alia quam animaduersione mitiori vindicari possunt. Ad illas igitur quod attinet, cum in iis statim reus capi queat, facillime intelligitur, ipsum reum remoto procuratore in iudicio comparere debere. Quod, quamuis indubium, magis adhuc per *Reuersales de 1621. art. 42.* confirmatur, quo expressse constitutum est, vt id quod in delictis casualibus et culposis factum est in dolosis locum non habeat. Quod ad leuiores ergo causas, *Reuersales de 1621. §. 42.* determinant, *dass dietenige, so von Unserm Fiscal in peinliche Anspruch genommen werden, si delicta casualia, non dolosa sint, vnd es sonst delicti qualitas permittirt vnd zulaest, allein bei Eroeffnung der Endurtheil sich in Person zu stellen, anzuloben, vnd darüber gewöhnliche Caution zu praestiren verpflichtet vnd schuldig seyn:* Quocum loco conuenit §. 361. in translatione nostra publica quo ne contra leges citatas

E


agatur

agatur, seuere inculcatur. Praeterea quoque in Ordinatione Execut. d. d. 23. Febr. 1619. §. ult. et Ord. Aul. et provinc. Part. 2. tit. 38. §. ult. tum etiam Ordin. Cancell. Güstroyens. Part. 2. tit. 39. §. 6. constitutum invenimus, vt omnes qui executoribus dolose non soluant, in poenam 200 thalerorum aut adhuc grauiorem sine vltiori causae cognitione cadant; et porro; vt contumax iste in persona compareat poenamque soluat; Quare etiam citationes sub hac formula emittuntur: *Ad videndum te incidisse ac declarari in poenam aut allegandum causas quare non, in persona vncusleiblich zu erscheinen.*



(X225 7028)







Br. 30. num. 7.


10

AD

L. I. D. AN PER ALIVM CAVSSAE
APPELLATIONVM REDDI

POSSVNT.

1777, 1



DISSERTATIO INAUGVRALIS

AVCTORITATE

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA.

PRO

SVMMIS IN IVRE HONORIBVS

OLIM RITE OBTINENDIS

AD DISCEPTANDVM

PROPOSITA

AB AVCTORE

FRIDERICO WILHELMO BÜHRING.



BVETZOVII

AD IVNII A. R. S. c1515 cclxxvii

